



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Gallia Vindicata, In Qua Testimoniis Exemplisque  
Gallicanæ Præsertim Ecclesiæ, Quæ Pro Regalia, Ac  
Quatuor Parisiensibus Propositionibus A Ludovico  
Maimburgo, Aliisque producta sunt, Refutantur**

**Sfondrati, Celestino**

**[Ort nicht ermittelt], MDCLXXXVIII.**

6. Jesse Episcopi Ambianensis, Ludovici Pij Imperatoris,  
& alterius Synodi Turonensis, Servati Lupi,  
& Reginonis Abbatis Prumiensis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38277**

explorant, ut ad ejus arbitrium suam Conversationem & ipsi remittant, aut invidant.

Anno DCCXCII. Præsente Carolo Magno, multisque Galliae Episcopis Ratisbonæ hæresis Felicis Episcopi Urgellitani (qui Christum Filium Dei adoptivum esse docebat) auctoritate Adriani I. Pontificis damnata est, de qua ita loquitur Alcuinus lib. 1. contra Elipandum: *Hæc eadem vestri erroris secta Synodali auctoritate Sacerdotum Christi æterno anathemate damnata, imò à beata memoria Hadriano Papa funditus exterminata est. At funditus exterminata non esset, si obijci Hadriano potuisset, eum in rebus fidei decidendis errare posse.*

Anno DCCXCIV. Carolus Magnus cum de eadem Felicis hæresi damnanda ageretur, convocatis Franciæ Episcopis, in signe auctoritati Pontificiæ testimonium dedit, dignumque omnibus Galliæ Ecclesijs inscribi, sic enim loquitur: *Ad Beatissimum Sedis Apostolica Pontificem ter quaterque direximus missos, scire cupientes, quid sancta Romana Ecclesia, edocta traditionibus de hac respondere voluisset traditione. Apostolica Sedi, & antiquis ab initio nascentis Ecclesie, & catholicis traditionibus totâ mentis intentione, totâ cordis alacritate conjungor.*

Anno DCCC. Circiter moritur Alcuinus primus Parisiensis Universitatis Auctor, qui lib. 1. de div. off. c. 19. Religionis, inquit, cultum sic Dominus instituit, ut in Beato Petro principaliter collocaret, atque ab ipso quasi capite dona sua vellet in corpus omne manare.

VI. Anno circiter DCCCIX. Floruit Jesse Ambianensis Episcopus; is in epistola encyclica ad suos hæc habet: *Sequimur Romana Ecclesia auctoritatem, ut unde Catholica fidei initia accepimus, inde exemplaria Salutis nostra semper accipere debeamus, ne membra à corpore separentur suo; ne claviger Regni Cælestis abijciat, quos à suis diversos intelliget esse doctrinis.*

Anno DCCCXL. Obijt Ludovicus Pius Imperator Caroli Magni filius, cujus sicut & Galliæ ac Germaniæ Episcoporum quænam de suprema Romani Pontificis auctoritate sententia fuerit, ex ejus Capitularibus in quarto additamento clarissimum est, sic enim habet: *Omnes Episcopi, qui in quibusdam gravioribus pulsantur, quoties necesse fuerit, Apostolicam appellent Sedem, atque ad eam quasi ad Matrem fugiant, ut ab ea, sicut semper fuit, defendantur & liberentur, cujus dispositioni omnes maiores Ecclesiasticas causas, & Episcoporum judicia, antiqua Apostolorum, eorumque successorum atque Canonum auctoritas reservavit, quoniam culpamur Episcopi,*

quo



qui aliter erga fratres egerint, quam ejusdem Sedis Papa fieri placuerit, Canonibus quippe jubentibus in talibus absque Romano nihil decerni Pontifice, nec ad Concilium vocari debere decernunt.

Anno DCCCXLIX. Celebrata est Synodus Turonenfis ad versus Ducem Britonum Nomenorium; Is à Carolo Francorum Rege missus Britannia minoris curam susceperat, aut potius tyrannidem, humanis, Divinisque vastatis, & Episcopis pulsus. Id ubi Leo IV. accepit, litteras ad Ducem scribit, monetque, ut tyrannide absteat: sed tantum abfuit Britannum corrigi, ut ne Pontificis quidem litteras accipere dignaretur. Id Episcopis Gallia tam indignum facinus visum est, ut ad Ducem in hæc verba scriberent: *Ad cumulum malorum omnem lassisti Christianitatem, dum Vicarium Beati Petri Apostolicum, cui DEUS dedit Primatum in omni Orbe terrarum, sprevisi. & ne litteras quidem ipsas recepisti; & quia volebas a malo desinere, timuisti bene monentem audire. In eo igitur lassisti Apostolos, quorum Princeps est Petrus. .... Et infra: Maximum reatum te contraxisse scimus, quod Epistolam Sedis Apostolica respuisti.* Si tantum tamque indignum facinus viginti duo Gallia Episcopi crediderunt, quod Dux sæcularis ac Tyrannus, nulloque alio vinculo Pontifici obstrictus, quam illo communi hominis Christiani, Epistolas Romanas non admisisset; quid dicerent rogo, & quale crimen judicassent; si Episcopi tot titulis, ac juramento toties Romæ obnoxij, non tantum Pontificis epistolas non acciperent, sed tot etiam modis eas neglecturi haberent? & tamen Parisijs id factum.

Anno DCCCCLII. Floruit servatus Lupus: Is epistola 103. ad Benedictum III. ita scribit: *In quibuscumque ad Religionem vel honestatem spectantibus ambiguitatem creat varietas, ut optima quæque emiteant, illic sollicita investigatione credimus recurrendum, unde fidei ubique manavit exordium.*

Anno DCCCCLIX. Rhegino Abbas Monasterij Prumiensis in Chronico ita scribit: *Stultitia quidem elogio denotandi, qui illam Petri Sedem aliquo pravo dogmate fallere posse arbitrati sunt, qua nec se sefellit, nec ab aliqua hæresi unquam falli potuit.*

Anno DCCCCLXVII. Celebratum est Concilium Trecense omnium Gallia Episcoporum, qui ita loquuntur: *Judicium vestra auctoritatis (Joannem VIII. Summum Pontificem alloquuntur) quod privilegio Divi Petri & Sedis Apostolica in eos, & complices eorum, juxta sacros Canones*